CANDORIS CALVINIANI

IDEA.

SVCCENTVRIATA SECRETARIÆ ANHALTINÆ.

AVTHORE,

THEOPHILO VERIDICO.

Auguſtæ Vindelicorum,

Apud Saram Mangiam

Viduamrecuſa.

M. DC. XXI.

Digitized by Google

Dolus, an Virtus, quis in hoſte requirat ?

Digitized by Google

LECTOR BENEvole Salue.

MALE DE REPVBLICA Chriſtiana, malè de genere humano merear, ſi Illuſtria Caluinianæ ſynceritatis documenta, ituris ad ætatem poſthumam chartis, non promam; ſed *Blattarum, & tinearum epula, putreſcat in arca* quod niuei candoris ſpeculum limpidiſſimum ſequuturæ poſteritati eſſe debuerat.

Nec operoſe mihi, obſcuraque, longiuſque petita, integritatis Caluinianæ argumenta quærenda veniunt, quum clariſſima, teſtatiſſimaq; eius Paradigmata, in vno, inter omnes Caluiniſequas extra-Inſulanos *Viribus, ingenio, ſpecie, Virtute, loco, re*, facilè Principe, imò (ſi DEO placet) Rege, Gabriele Betlen, ſuppetant.

Non ſum neſcius, Principis illius næuos à plurimis, acriori ſtylo configi, quòd

Impiger, Iracundus, Inexorabilis, Acer,
Iura neget ſibi nata: nihil non arroget armis. Horatius.
Mercedem, aut nummos vnde vnde extricet.

Verùm enim verò

non ego paucis
Offendor maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura,

 Nam,

Nam, vitijs nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur.
Et Pater vt gnati, ſic nos debemus amici,
Si quod ſit vitium, non faſtidire.

Vulgata igitur Principis illius, calamo hoc non attingam: ſed nec Summa illa, potentiſſimorum ſcilicet orbis Imperatorum Heliogabali. Caracallæ, Caligulæ, Neronis, aliorumq; eius ordinis plurimorum, exactiſſima vitæ, morumq; omnium lineamenta, in vno Betlenio, velut viua illorum ſpiranteq; imagine, effigiata. Solùm igitur Syncerum illum, nec vllis adulteratum fucis Caluinianum Candorem, inter omnes Betleni dotes ita relucentem, velut inter ignes Luna minores, preſſa oratione perſequendum ſuſcepi. Nihil oratorijs declamationibus exaggerabo. nuda rerum geſtarum narratione contentus ero. Attentum te volo Lector optime. Vale.

CAN-

Digitized by Google

CANDORIS CALVINIANI
PARADIGMA I.

POSTEAQVAM regnandi cupiditate ſtimulatus, Bohemorum blandimento delinitus, Rhenanis pollicitationibus circumuentus Betlen, contra fidem, iterum ac tertiò datam, arma in Cæſarem & Regem Vngariæ expediuit, ſeriùs quam par erat animaduertit, *Arma ſumi facilè, cæterum ægerrimè deponi: nec in eiuſdem poteſtate, initium & finem belli eſſe.* Saluſtius Rectè enim Polybio ſcriptum, quemadmodum ſi quis ſyluam ſemel incẽderit, nõ ad eius arbitrium ferri porrò flammas, ſed depaſci quicquid apprehẽderint, ventiſq; regi incendium, quod & ipſum incenſorem non rarò corripiat: ſic bellum vbi exarſerit, ferri in quæuis obuia, authoreſq; inuoluere ac perdere.

Quamobrem, fuſo fugatoque Rhenenſi, victis ac ſubactis Bohemis, vbi ſe ſibi relictum vidit Betlen, nihil impenſius procurandum exiſtimauit, quàm vt Imperatorem Turcarum, ruptis Vicennalibus Inducijs in armorum, ac prædæ Chriſtianitatis ſocietatem vocaret. Nimirum, flectere quum ſuperos nequiret, Acheronta mouenda arbitrabatur. Nec prece tantùm, ſed & pretio ampliſſimorum munerum, ac latè patentium prouinciarum rapinis, velut claſſico, Turcas, Tartaroſque in bella proliciebat. At vbi opinione ſua, tenaciorem Iuriſjurandi Turcam reperiſſet, ad artes ſolitas conuerſus, diu multumq; in eo deſudauit, vt fictis criminationibus Cæſarem apud Turcas traducendo, ſuſpectum redderet, quaſi pacis Turcicæ pertæſus, pactas, ac bona fide ſtabilitas Inducias, euerſum ire vellet. Id antea ſæpius irrito conatu pertentarat, ac vbi victrices Cæſaris aquilas imminere ſibi ſenſit, validiore vtendum ratus ariete, Candore prorſus Caluiniano, literas Vngarico idiomate Cæſaris nomine conſcriptas, ſigilli ac chirographi exacta imitatione communitas, ad Turcas mittit; harum teſtimonio ſuaſit ac perſuaſit, fore, vt Cæſaris arma propediem Turcæ ſentiant ni maturè præuertant, junctiſq; ſecum viribus Cæſarem pre-

Digitized by Google

premant, Auſtriam rapinis ac populationibus atterant. Neq; verò inexſpectata fuit hæc Synceritatis Caluinianæ ſtropha: Nam annus jam eſt, ex quo Nouizolio perſcriptum fuerat, Betlenium, varia Cæſaris, ac Regis Poloniæ, aliorumque ſigilla fieri curauiſſe. Illud detegendę fraudi percommodè accidit, quòd ementitas literas, Vngarico idiomate protruſerit; quum tamen, nullæ vnquam literæ Cæſaris, etiam in cauſis Vngaricis, Vngarico ſermone expediantur: Nec arbitror viro cordato perſuaderi poſſe, Cæſarem, alieniſſimo tempore, vaſtatis ſcilicet & exhauſtis prouincijs, domeſticarum ſeditionum flammis etiamnum micantibus, vltrò ſibi laceſſendum potentiſſimum Ottomannum exiſtimaſſe: aut ſi quid tale animo volutaſſet eius rei conſcios eſſe voluiſſe, ad quos exaratæ finguntur literæ. Sed age literas ipſas Oratori Cæſareo à Turcis exhibitas, ab Vngarici ſermonis gnaris, fideliter Latinitati redditas, annectamus.

FERDINANDVS II. Dei Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Sclauoniæ, Rex, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Marchio Morauiæ, Comes Tyrolis & Goritiæ, &c. Spectabilibus, Magnificis, Egregijs & Nobilibus, Baronibus, Capitaneis, eorumq; Vicegerentibus, ſalutem & Gratiam noſtram &c. Antea mihi fideles optimi, qua ratione factum ſit, vt anno ſuperiori contra nos, & Regnum noſtrum arma ſumpſeritis, exploratum habemus, & ex fideli noſtro Palatino Vngariæ rectè intelleximus. Nimirum Turcici illius Principis Betlenij in Vngariam improuiſa irruptio, vos eò adegit. Cæterum nos gratiam & beneuolentiam noſtram, clementer vobis offerimus, ſi gratia & clementia noſtra vti velitis, ſi ab ipſius fidelitate deſciſcetis, ſi tàm Regnum, quàm confinia ad fidelitatem noſtram reduxeritis, ac in ea conſeruaueritis. Conſtat ſiquidem vobis, quòd nos, infidelibus Turcis, vos & Regnum non vendidimus, prout latro Betlen. Quin potius in eo ſumus, vt omni vos clementia proſequamur, ſi ab ipſo deſciueritis: menſtrua vobis ſtipendia exactè numerabimus, ac Regnum ipſum in veterem libertatem aſſeremus. Atq; idcirco, tam numeroſo cum exercitu fidelem noſtrum Campiductorem expediuimus, vt Vacia confeſtim recuperata, Strigonium obſideatur. Experiantur potentiam noſtram, tàm Turca, quàm eorum pullus Betlen. Vos valere cupimus. Viennæ Auſtriæ. 20. Maij Anno 1621.

FERDINANDVS. *Laurentius Ferenzffi.*

Inſcri-

Inſcriptio literarum talis erat. *Magnificis, Generoſis, Egregijs Regni noſtri Vngariæ Capitaneis, Vice Capitaneis, Comitibus, Baronibus, Centurionibus, Decurionibus, Præſidiorum Vivar, Nograd, Palank, Gyarmat, Zecſen. &c. fidelibus noſtris. &c.*

Ab inſtituto recederem, ſi longiori oratione perſequerer, quot in vno ſcelere flagitia contineantur: ſi pœnas Falſarijs decretas recenſerem; ſi Pandectas ad legem Corneliam de Falſis, retexerem: ſi rapinas, cædes, ac captiuitates innoxiæ plebis: ſi plurimum millium Chriſtianorum, in Turcicam ſeruitutem abductorum calamitates; ſi deniq; incendia, vaſtitatemq; Auſtriæ illatam per Turcas, huiuſmodi literarum figmentis concitatos, enumerando percenſerem.

Cæterum Caluini veſtigia ſectantibus, nullam huiuſmodi flagitia labem inſpergunt: Ii enim ſemel in omnem vitam, omnibus expiati ſceleribus, niueum Candorem, Syncerissimamq; Caluinianam puritatem, macularumque, ſordiumq; contagione remota, perpetuo retinent. *Sic enim cogitandum eſt, quocunq; Baptizemur tempore, nos ſemel in omnem vitam ablui, & purgari. Puritas enim Chriſti in eo nobis oblata, ſemper viget, nullis maculis opprimitur, ſed omnes noſtras ſordes obruit.* En puritatem Caluiniani: en Candorem ſyncerissimum, nullis maculis obfuſcandum. Caluin. lib. 4. Inſtit. cap. 15. n. 3.

CANDORIS CALVINIANI

PARADIGMA II.

SAPIENTER cenſuit Auguſtus, idem eſſe bellare, quod aureo hamo piſcari, cuius ſemel amiſſi jactura, nulla vel lucroſiſſima piſcium captura compenſari queat. Ea propter monet Thucidides *quicquid præter opinionem euenire in bello poteſt, priuſquam ingrediare conſidera.* Nam. *Non licet in bello bis delinquere.* Id ſi Betlen accuratè ſecum expendiſſet, haud equidem induci poſſum vt credam, tot bellorum procellis ſeſe inuoluturum fuiſſe. Poſteaquam tamen, in ſuſceptis temerè conſilijs, malè progredi quàm regredi conſtitutum habebat, eò vires omnes ingenij flexit, vt quò Leonina pellis pertingere non poſſet, Plutar.

Digitized by Google

poſſet, Vulpinam aſſueret; ideoque, vt imperatoris copias vel auerteret, vel retardaret, ſummum ineundæ pacis ſtudium præſeferendo, viros Maximos, Chriſtianiſſimi Regis ad Cæſarem oratores, pacis conciliandæ arbitros optauit. Hi igitur, ſumma fide, incredibili diligentia, profuſiſſimis expenſis, nihil in pacis procuratione intermiſerunt, quod à tam Illuſtribus, ac rerum vſu exercitatiſſimis viris, meritò poſſet deſiderari: tribuſq; ipſis menſibus, infinita tædioſarum diſceptationum mole deuorata, eo pacis negotium deduxiſſe videbantur, vt de felici exitu, nullus dubitandi locus relictus videretur. Dum igitur diplomata initæ pacis conficiuntur, dum animi ſingulorum, lætiſſimæ quietis expectatione reuireſcunt, ictu vnico, tanti laboris fructum Caluinianus Betleni Candor interemit: Negauit ſe vel pacem concludere, vel Regno excedere poſſe, inconſulto Turca, cuius nutu rem gerebat: proinde menſium duorum comperendinationem dari ſibi debere ad deliniendos Turcarum animos.

Nihil opus eſt coniecturis, aut operosè quæſitis argumentorum firmamentis euincere, Betlenium tractatu iſto, non id egiſſe, vt pax alma concluderetur, ſed temporis lucrum facere voluiſſe, vt vires interim ſuas firmaret corrogatis vndique auxilijs; ſed ne imparatus opprimeretur laboraſſe; ſed vt ſpe pacis iniecta, Cæſarianos Duces in apparatu bellico ſegniores redderet; Interceptæ ſiquidem fuere eo ipſo tempore literæ Betlenij à Filekienſibus Vngaris, Cæſari fidem ſeruantibus, manus Betlenij ſubſcriptione, ac ſigillo firmatæ, captis vnà legatis ad Principem Tartarorum deſtinatis: His ipſis literis diſertè Betlen profitetur, in eo toto tractatu, verba ſe dediſſe Cæſari, vt vires interim ſuas firmare poſſet. Literas accipe, ex ipſo originali, bona fide, ab ijs qui linguam Vngaricam callent, latinè factas.

Gabriel Dei gratia, Electus Rex Vngariæ Princeps Tranſyluaniæ & Siculorum Comes.

Sereniſſime Princeps, nobis honorande, chariſſime & beneuole amice, & frater. Omnipotens Deus, omnia Serenitatis Veſtræ negotia fortunet, inimicos veſtros acuto ipſius gladio conterat, & dies vitæ multiplicet.. Serenitatis Veſtræ honorabiles aulæ familiares, incolumes ad nos peruenerunt, huius Menſis (juxta noſtrum computum) die

die vigeſima quinta. Honorabiles literas reddiderunt: ex fraterno affectu natam conſalutationem, ſinceræq; amicitiæ condecentem, ac beneuolentiæ plenam oblationem, oretenus retulerunt. Vnà etiam arcum, & ſagittas nobis præſentarunt. Literas Serenitatis Veſtræ, magna charitate legimus: oretenus factam conſalutationem fraternam, & amicas beneuolentiæ oblationes, jucunda aure excepimus: munus gratanter accepimus. Quòd igitur Serenitas Veſtra, Noſtri, vtpote ſui beneuolentiſſimi, memoriam non depoſuerit, ſed nos tam procul bella gerentes, literis, ac ſeruitoribus deſtinatis, inuiſerit, quin & exercituum ſuorum in noſtri ſubſidium expeditionem obtulerit, pro hac ipſius beneuolentia, dominantem omnibus Deum benedicimus. Veſtræ autem Serenitati, fraternæ beneuolentiæ conuenientibus ſignis, omni tempore gratificari contendemus.

Literarum ſuarum tenore certificat nos Veſtra Serenitas, quòd ex potentiſſimi Imperatoris mandato, anno præterito, contra Polonos qui ad occupanda potentiſſimi Imperatoris Regna venerant, valido cum exercitu expeditionem ſuſceperit, eoſq; magnus Deus, per veſtram Serenitatem confuderit, & profligarit, multis magnatum captis, vel interemptis. Hæc quoq; noua, magno gaudio intelleximus. Nam licet decimo tertio die poſt conflictum, dum vltra Danubium, in ipſa Germania verſaremur, cum inimicis Germanis decertaremus, victorioſi illius conflictus, jucundiſſima fama, ad nos peruenerit, quòd tamen Veſtra Serenitas, ipſamet ea de re nos reddit certiores, id nobis longè accidit gratiſſimũ. Faxit Deus, vt inimici potentiſſimi Imperatoris, & omnium noſtrûm deinceps ſimilem exitum ſortiantur; puluerem lingant: Serenitatis autē Veſtræ vultus candidus ſit, & victricem eius fortunam, Deus adaugeat. Poloni non ſunt amici noſtri, quibus nihil vnquam nos incommodauimus: quin potius, ante quadriennium in ipſorum gratiam, nos quoque cum exercitu noſtro, in Moldauiam, magno labore penetrauimus, & cum potentiſſimo Imperatore, eos in concordiam reduximus. Sed promiſſis ſuis non ſteterunt: potentiſſimi Imperatoris regna inuaſerunt: quod igitur vltrò quæſiuerunt, hoc habent. Anno ſuperiori, dum nos ad locum habitationis Imperatoris Germanorum, vbi & ipſemet in perſona præſens erat, Viennam nimirum, veniſſemus, in noſtrum quoq; regnum irruptionem fecerant, ac multa damna intulerant, propter quod illorum factum, nec nos volumus illi nationi amici eſſe. Certò intelli-

Digitized by Google

gimus, quòd contra potentiſſimum Imperatorem, validos exercitus inſtruant, ſed & Germanorum Imperator auxilia illis ſubmittere parat, ſi pacem nobiſcum inire poſſit. Verùm, à natione Polonica neceſſe non eſt quidpiam metuere, ipſi domi duntaxat linguâ milites ſunt, quum à ceruiſia inebriantur, ſed ſtatim ac hoſtem vident, judicium perdunt, Deo illos meritò ob ſuperbiam caſtigante. Nos quoque operam dedimus, vt exploraremus, quantum exercitum educere poſſint. certò comperimus, ipſos viginti millia lanceariorum, decem milli Kozakorum, & viginti millia peditum colligere velle. Equitatum habere poterunt: peditatum non aliter nanciſcentur, quàm ſi Germanorum Imperator nobiſcum pacem inire poſſet, & ipſe ſubmitteret peditatum: ſiquidem peditatus domeſticus illius Regni, nihil prorſus valet.

De ſtatu noſtro Serenitas Veſtra ſic habeat. Licet à viginti duobus menſibus, cum multis ac varijs hoſtibus bella geſſerimus, & etiamnum geramus, (non enim cum ſolis exercitibus Imperatoris Romani, ſed cum Regis Hiſpaniarum, ac Romani Pontificis militibus, confligendum fuit) nihilominus, hucusq; Deo laudes, Victores contra illos euaſimus. Numerum neſcio, quoties cum illis conſliximus, quandoquidem ipſi foſſis & aggeribus ſeſe includere ſolent, ac illinc pugnare. Veritatem ſcribimus, viginti duobus menſibus, triginta millia hoſtium internecione deleuimus. Ad Pragam infortunium aliquod exercitus Regis Bohemiæ paſſus eſt, illinc hoſtis vires ſuas in nos conuertit. Ab octodecim ſeptimanis, in mutuo conſpectu verſantes, nocte ac die, validis inter nos conflictibus decertamus. Nunc de pace mutuo ineunda tractamus.
NOTA. *Nos quoque bona illis verba dedimus, idcirco tantùm, vt interim potentiſſimi Imperatoris ſubſidiariæ copiæ nobis deſtinatæ aduentare poſſint, ſicq; meliori commoditate poſſimus inimicorum opulenta Regna inuadere. Vehementer cuperemus ſi Veſtra quoque Serenitas ad nos mitteret ſelecta decem millia militum, vnum ex primarijs Dominis Ductorem præficiendo, vt horum auxilijs, magis idonei redderemur, ad victoriam Deo auxiliante de inimicis reportandum. Quòd ſi Veſtra Serenitas in perſona ad nos veniret, id longè gratiùs accideret, & ſuo aduentu Serenitas Veſtra potentiſſimo Imperatori, nimis quàm multùm deſeruiret: ipſamet quoq; plus reportaret hinc commodi, quàm ex victoria contra Polonos adepta. Nos in perſona Serenitati Veſtræ adeſſemus, & per tam opulenta Regna circumduceremus, quibus ſimilia, nunquam natio Tar-*

tarica

Digitized by Google

tarica vidit. Theſauris, & mancipijs affatim expleri miles poſſet. Veſtra Serenitas delectu habito, viginti millia militum penes ſe haberet; Nos quoq; habemus viginti millia lanceariorum, & viginti millia peditum: Potentiſſimi vero Imperatoris ſubſidiariæ copiæ, quindecim millibus Oſmanidarum conſtabunt. Sed & Rex Bohemiæ, triginta armatorum millia habebit. Tanto igitur exercitu inſtructis, qui frontem obuertere audeat, nemo inuenietur, ſed Regna omnia defenſoribus nudata, in opimam prædam, vnà cum immenſis Theſauris nobis cedent. Hac ipſa de re, per proprium noſtrum hominem, virum primarium, copioſè Serenitati Veſtræ nunciauimus; eius vt verbis fidem habeat & hac in re deſiderium noſtrum non reijciat, magno affectu rogamus. Ab eodem noſtro homine, quod ad manum fuit leuidenſe munuſculum, Serenitati Veſtræ, magno affectu miſimus. Serenitas Veſtra, boni conſulat, nam & nos hoc tempore in caſtrenſi puluere ac bellis verſamur. Si Deo viſum fuerit, Noſmet ipſi Serenitatem Veſtram, familiariter noſſe volumus, ac alijs modis eidem gratificabimur; Serenitas Veſtra habeat nos pro ahret kardes *ſyncero amico. Deus ſeruet Serenitatem Veſtram in bona ſanitate. Datum in Regia Ciuitate noſtra Tirnauia, juxta noſtrum computum, prima Aprilis, Anno 1621.*

Serenitatis Veſtræ.

Beneuolus frater

GABRIEL.

Inſcriptio talis erat *Sereniſſimo Galga Zulthan, ſupremo Zulthano Deſti, Kapichak, & Navoinak. Sereniſſimo Deuleuth Girai Zulthano, &c. amico & fratri aſſignanda.*

En verboſiſſimam, ſimul & mendaciſſimam Epiſtolam, ex autographo fideliter exſcriptam: In qua nihil ego, præter quàm Candorem ac Synceritatem Caluinianam notatam volo. Nam ſi gloſſis illam interpolare, lucubrationiſque telum ſtringere in illam, aut certè inlatentes ſceleratorum conatuum fibras calamo iſto rimari vellem, breuis hæc mea ſcriptio in immenſum excreſceret. Neque tamen Caluinianis conſcientijs formidanda hæc talia veniunt. Nam vnica recepti Baptiſmatis recordatione, his multo etiam grauiora ſi quæ ſint fla-

Caluinus lib. 4 Inſt. cap 15. n. 4. gitiorum portenta, eluta, deterſa, ac perpurgata, fide Caluiniſticâ credumtur. Siquidem, *pÿ omnes, toto vitæ curriculo, quoties vitiorum ſuorum conſcientia vexantur, ſeſe ad Baptiſmi memoriam reuocare audent, vt ſe inde confirment, in illius vnicæ ac perpetuæ ablutionis fiducia.* Idque haud immeritò, *cum Baptiſmus ipſe ſit Pœnitentiæ ſacramentum.* *Caluinus Ibid.*

CANDORIS CALVINIANI
PARADIGMA III.

Suidas & Zonaras TIBERIVS Imperator, ſecus ac cæteri hominum, quicquid expetebat, id ſe odiſſe ſimulabat: & quicquid oderat, expetere præſeferebat: omnia agebat in aduerſum, pectore & lingua vſquequaq; diſſentientibus: atq; vt Tacitus memorat, *Nullam vt rebatur, ex virtutibus ſuis magis, quàm diſſimulationem diligebat.* *Tacitus lib. 4. An* Idem niſi fallor, eſt genius Betlenij, eadem ſententia. quod etſi ſæpè aliàs nunquam tamen clarius patefecit, quàm cum arma Cæſareæ Majeſtati inferre parabat. Tunc enim vel maximè, aliud ore, aliud corde præferens, exquiſita, & inſolita aduerſus Cæſarem, obſeruantiæ, ſubiectioniſque indicia, propalam dedit. Miniſtros ac Officiales Cæſaris, quibuſcum antea ſimultates exercuerat, miris verborum blandimentis prenſando, omni officiorum genere excultos deliniuit, quin & ſubmiſſis Equorum munuſculis deuinxit, idq; eo ipſo tempore quo militem colligebat ditionum Cæſarianarum inuaſorem. Ne verò bellicus apparatus, id quod agebatur proderet, ſcriptis tam ad Palatinum Hungariæ, quàm ad Caſſouienſem Generalem, humanitatis ac beneuolentiæ pleniſſimis litteris, queſtus fuit, æmulos ſuos, omnia ipſius facta in deterius perperam interpretari: ſe, honeſta ſtipatum comitiua Varadinum ire deſtinaſſe: facilè igitur, ſiniſtros de ſe rumores ſpargi poſſe, quaſi ad inuadendam Vngariam proficiſceretur. Cæterum ſcire ſe quid optimo Cæſari, ex pactis nuper fœderibus, ac diplomate Iuriſjurandi firmatis, debeat, nec paſſurum, vt vel latum vnguem ſeſe tranſuerſum agi ſinat Quamobrem maiorem in modum vtrumq; rogabat, ne falſis, & ad inuidiam

Digitized by Google

diam cõflandam excogitatis rumoribus, fidem habeant, ſed omnia ſibi potius de ſe polliceantur, quæ à fideliſſimo ſuæ Maieſtatis ſeruitore, merito expectari debeant. Addebat, obligatum ſe, vigore pacificationis initæ, vt Cæſari, contra omnes hoſtes excepto Turca, totis viribus aſſiſtat. Itaque ſi modò Imperator jubeat, decem millia inſtructiſſimorum militum, Cæſari ſe ſubmiſſurum.

Quoniam verò Synceritatis Caluinianæ neruos omnes eò Betlen intenderat, vt & Cæſarianos officiales imparatos opprimeret, & tutam iniret rationem, milites ſuos intrà viſcera Vngariæ introducendi, quid cum Magnifico Andrea Doczi, Generali Caſſouienſi egerit, ex ipſamet originali relatione, quam manu propria, ad Palatinum Doczius perſcripſerat, fideliter exſcribam. Ita igitur ſcribit Doczius Zakmarino, die 14. Iulij, Anno 1619.

Betlen ex Tranſſyluania, medio Michaëlis Caroli, hæc mihi nunciat. Offert ſe, ad requiſitionem Maieſtatis Suæ, Imperatoris ſcilicet FERDINANDI, *abſque mora in perſona adfuturum, & auxilia laturum. Si igitur Maieſtas Sua ipſi fidet, huiuſmodi ſtratagemate vſurum ſe cum Bohemis. Perſuadebit Bohemis, intentionem ſuam eſſe, vt reuera Bohemos adiutum eat, vtpote quibus propter ſimilitudinem Religionis adeſſe teneatur: licet interim bona verba dando Cæſari, ſimulaturus ſit, auxilia Cæſari ſeſe allaturum. Nec verò difficile fore, vt Bohemis bellè imponatur, quum ex literis Bohemorum ad ipſum datis, liquido appareat, plurimum ſpei ac fiduciæ Bohemos in ipſo collocaſſe. Vbi verò Bohemis iſta perſuaſerit, ac vt ſibi fidant, ſerio effecerit, Caſtra ſua, in loco Bohemicis caſtris vicino figet: præcipua rebellionis capita, ſpecie conſultationum ſecretiorum, ad ſua tentoria euocabit, captoſque Cæſari aſſignabit: ac tunc demum, Bohemorum caſtra, capitibus deſtituta, vno eodemq; tempore tum ipſe, quàm Cæſarianus miles inuadant, ac diſſipent.*

Significat præterea Betlen, Cæſaream Maieſtatem non habere maiores hoſtes in Vngaria, quàm Staniſlaum, & Emericum Turzo. Hos enim duos, in confœderationem Bohemicam conſpiraſſe: ſcriptis, varia noua contra Suam Maieſtatem per Hungariam ſpargere: varias conſpirationes in Comitatibus mouere: imò Comitem de Turn, cum præſcitu iſtorum Turzonum, Viennam profectum fuiſſe, & ſi aliquem ſucceſſum conatus Turriani habuiſſet, ipſi quoque cum ſuis complicibus in Vngaria,

Digitized by Google

contra Suam Maieſtatem rebellionem excitaturi fuiſſent. Emericum præterea Turzo Betlenio ſcripſiſſe; Bohemos juſtam cauſam fouere: merito contra Suam Maieſtatem rebellaſſe: neceſſarium eſſe ad promotionem Religionis, vt Betlen quoque inſurgat, tam inſigni commoditate affulgente. Betlenij verò opinionem eſſe, eodem modo ſibi cum Turzonibus procedendum, quo cum principalibus rebellibus Bohemis agendum, ſuperius cenſuerat. Iſta, ac plura Doczius.

Hæc verò Betlen, eo tempore dicebat, nunciabat, quo Kouaczocius Heidelbergam ad Palatinum Rheni, Marko Vaiuoda Pragam expediebantur à Betlenio, hoc eſt, cum maximè contra Cæſarem conſpirabatur, & cum ab Ottomanno, aſſenſus de inuadenda Vngaria, ſeu *Athame* Turcicum impetrabatur. Interim confictis per ſummam impudentiam rumoribus velut cote rebellionis, acuebantur ad audendum animi Vngarorum. Nam, & interceptæ ſpargebantur literæ, ex quibus Cleri, ac Magnatum Catholicorum truculentæ machinationes in apricum deducerentur: & Regem FERDINANDVM, qui tunc Francofurtum juerat, repulſam in Electione Imperiali paſſum, deſperatis rebus, Romam profugiſſe, imò, viuere deſijſſe; ſexcenta ſimilia, & quotidie noua figmenta protrudebantur. Quia verò facile credunt homines, quæ volunt, hiſce rumoribus, & auditionibus permoti aliqui Vngarorum, de re non leui, leue conſilium inierunt. Fatendum enim eſt, eo vitio gentem Vngaricam laborare, quo Gallos olim imbutos fuiſſe, Iulius Cæſar memorat. *Eſt hoc* inquit *Gallicæ conſuetudinis, vt & viatores, etiam inuitos conſiſtere cogant, & quid quiſq; eorum, de quaque re audierit, aut cognouerit, quærant, & Mercatores in oppidis vulgus circumſiſtat, quibus ex regionibus veniant, quaſq; res ibi cognouerint, pronunciare, cogant: & his rumoribus, atq; auditionibus permoti, de ſummis ſæpè rebus, conſilia ineant, quorum eos, è veſtigio pœnitere neceſſe eſt, cum incertis rumoribus ſeruiant, & pleriq; ad voluntatem eorum ficta reſpondeant.* Hæc Cæſar de Gallis. Quòd ſanè eius dictum, Vngaris magnopere eſt attendendum; neq; enim vllo magis artificio, inexhauſta fingendi fœcunditate, animos vulgi dementauit Betlenius, quàm inanium rumorum farragine. Et cur non vteretur ingenio, quum hæc talia Candoris Caluiniani Schemata, immaculatam conſcientiæ Caluinianæ puritatem non attaminent?

minent? Illud enim eſt Caluini-ſequarum in hac mortali vita degentium Priuilegium (ſi Caluino credimus) vt *non poſſint peccare.* Fraus igitur, dolus, perfidia, ſcelus omne, Caluiniſtis ſcelus non eſt. Atque hinc eſt, ſummus ille Caluini-ſequarum, in omni virtutum genere profectus, quem Caſtellio de Caluiniſtis ſuis loquens, his ipſis verbis memorat. *De experientia, quid multa dicam? Teſtor vos omnes ò homines ſexagenarij, aut ſeptuagenarij, vbi vbi degitis, an non ſit Veſtra ætate tanta in deteriùs facta hominum mutatio, quãta vix credi poteſt? Ebrioſitas, perfidia, mendacitas, auaritia, luxus, impudentia, vitæ licentia, audacia, contemptus Dei, blaſphemia, omnia denique flagitia, ita breui tempore creuerunt, vt quæ ante quadraginta annos, in barbatis viris monſtruoſa, & intolerabilia habebantur, ea hodie pueris ſint quotidiana; vt interim taceam de puellis, quarum ea eſt hodie inuerecundia, ne dicam impudentia, vt poſſint ipſos etiam viros pudefacere.*

Caluinus lib.2 Inſt. cap.3.n 15

Caſtellio libro de Calumnia cap.11

CANDORIS CALVINIANI

PARADIGMA IV. V. VI.

CAIVS Imperator, vbi pulſa probitate callum in deterrimis obduxerat, valde laudabat ἀδιατρεψίαν hoc eſt proiectam in rebus omnibus impudentiam. Non procul ab hac meta abeſt, ſi tamen abeſt, Betlenus, qui nulles Caluiniaui Candoris impoſturas erubeſcis: lucida huius documenta Tria accipe.

Primum eſt. Vacium ſede Epiſcopali celebrem Ciuitatem, Turcis jam pridem deuouerat Betlenius, eodem ſcilicet Caluiniano ſpiritu ductus, quo antea Lippam, aliaque complurima Chriſtianitatis præſidia, eiſdem conſignarat. Sed vt invidiam tanti facinoris à ſe amoliretur, ſparſit in vulgus, ab Oratore Cæſareo, Vacium Turcis donatum eſſe. Et, *Vt qui conducti plorant in funere, dicunt, & faciunt propè plura dolentibus, ex animo,* ſic Betlen, fictis illis quidem, ſed fere fæmineis lamentis, vulgò expoſtulabat oratoris Cæſarei facinus, qnod ille, ne cogitando quidem animo conceperat. Nec id ſatis: poſteaquam Capitaneus Vacien-

ſus

Digitized by Google

ſis à Betlenio creatus, jubente Betlenio Vacium Turcis conſignaſſet, gliſcenti contra ſe populari inuidiæ obuiam ire volens, Capitaneum qui arce exceſſerat Iudicio ſiſti curat, vt juxta ſeueriſſimas Vngariæ leges, in eos qui confinia hoſtibus dediſſent, jam olim latas plecteretur. Vbi dies ferendæ ſententiæ adfuit, frigidè admodum, ac perplexè accuſatur Capitaneus, ita vt facilè omnes intelligerent, ad ſpeciem iſta geri, Theatrali quadam ac ludicra repræſentatione. Capitaneus vt qui probè noſſet fucatè omnia agi, vt populo imponeretur, propalam quidem diuerſionibus forenſibus vſus, tandem apertè profeſſus eſt, ſi vrgeatur, literas ſe productu- rum, quibus doceatur, cuius juſſu ac nutu validum Chriſtianitatis propugnaculum, Turcis aſſignari debuerit. Atque ita finita lis tota eſt, nec quidquam vlterius contra Capitaneum actum. Quæ omnia publicè geſta, toti Vngariæ nota, per ora etiam vulgi circumferuntur, vt proinde Soli lucem mutuari velit, qui alijs iſta documentis approbet.

Secundum eſt. Stephanus Herencſeni, Arcem natura loci, arteq; munitiſſimam cum paucis ſpectatæ virtutis ac fortitudinis militibus tenebat, ne & illa Tyrannidi Betlenianæ pateret: certus vitam prius amittere quàm poteſtati hoſtili, locum permittere. Cum igitur fruſtra vim, ac montium aureorum pollicitationes, cæteraſq; conſuetas artes in occupando præſidio Betlen inſumpſiſſet, Candore prorſus Caluiniano, modum excogitat, quo commilitones arce concluſos in Herencſenium concitaret; Eo enim per ſeditionem militarem è medio ſublato, nullo ſe negotio potiturum Arce fidebat. Quemadmodum igitur, dum illicito ambitu, Principatum Gabrielis Bathori abrogari, ac ſe illius loco ſubſtitui apud Ottomannum anxiè ſollicitabat Betlenius, Ciuitatum, ac Primatum Tranſyluaniæ ſigilla accuratè ſculpi curauerat, iiſq; munitas literas Turcico Imperatori repræſentarat, quaſi Tranſyluania Vniuerſa pertæſa Bathorei, Betlenium ſibi Principem depoſceret, eoq; artificio & illicitis pollicitationibus circumuentos Turcas, excitauerat, vt ipſi Tranſyluaniæ Principatum deſtinarent. Ita nunc nota Herencſenij gentilitia inſignia, quibus pro ſigillo vtebatur exacte effigiari curat, vt literis quas Herencſenij nomine fingere cogitabat, fidem apud commilitones, ſigillo conciliaret. Literarum verò

argu-

Digitized by Google

argumentum erat ejuſmodi, quo commilitonum qui in arce erant perfidia incredibili verborum aſperitate traducebatur: preces inſtantiſſimæ miſcebantur, vt ſubmiſſis externis auxilijs, in tempore præſidiarij opprimerentur. His verò literis, quaſi inuito Herencſenio in manus commilitonum incidentibus, ſperabat Betlenus, ſeditione coorta, trucidandum Herencſenium. Et ſanè parum à periculo res abfuit, Deo mirabiliter Herencſenium protegente.

Sed ne neſcias Betlen.

Te non nos fallis, cum nos ea credere credis. *Ianus Pannon.*
Credere tute alio quæ referente neges.

Patent jam omnibus technæ tuæ: nemo eſt tam ſtultè credulus, qui tuis iſtis artificijs, deludi ſe amplius patiatur.

Tertium eſt. Tranſegerat aliqua Betlen, ſtabiliendo ſuo principatu haud incommoda, quæ quum & firmari per Tranſyluanos vellet, & tamen peruulgari omnino nollet, ſynceriſſimo Candore Caluiniano, rem ita peregit, pauciſſimis arcanæ fraudis conſcijs & complicibus. Frequentes adeſſe Tranſyluanorum primores jubet, ac multa de publica quiete, deque patriæ conſeruatione prolocutus, ſcriptum quoddam ſalubre, ac omnibus meritò probandum, clara, diſtinctaque voce prælegi & ab omnibus qui aderant Tranſyluaniamque repræſentabant, totius Prouinciæ nomine ſubſcribi, obſignariq; curat. Et quoniam extare plura ejuſdem ſcripti exemplaria, Reipublicæ intererat, alia ſubinde atq; alia ad ſubſcribendum, obſignandumq; offerri curat exemplaria, inter quæ illud etiam, quod de re omnino, diſſimili erat, quodque ſciri à Tranſyluanis Betlen nolebat, latenter obtrudi, ac ab ignaris firmari curauit. Materiam eius ſcriptionis memorare hoc loco non attinet, rem tamen ita vt retuli geſtam eſſe, à viro primario, eoque Tranſyluano accepi, qui & ipſe illi ſcripto ſyngraham ac ſigillum apposuerat. Qua vna ex re, ſerò quamuis, ſeriò tamen intelligere licet Tranſyluanis quam miſerè à Betlenio circumducantur.

Cætera de genere hoc (adeò ſunt multa) loquacem, *Horat.*
Delaſſare valent Fabium.

Et certè qui ſcholæ Caluinianæ Candorem totis non hauſerit medullis, vix hæc ab vno homine, tot ac tam varia confingi potuiſſe exiſtimabit. Sed Caluino duce, Turcis Magiſtris, Iudæo

Logotheta, Comite naturali quadam Betleni propẽſione, tot à prima juuenta proditionibus exercita, longè etiam his majora perpetrata, nullus dubito, quæ veritatis magiſtra longioris mora temporis in lucem dabit, præſertim vbi FIDELITATIS CALVINIANÆ IDEA promet, quibus artificijs Betlen, Principatum Tranſyluaniæ fuerit aſſecutus.

Nec eſt tamen, quòd quiſquam exiſtimet huiuſmodi flagitijs Caluinianam lædi Conſcientiam, nam, ſi vera ſunt quæ Caluinus docet, Caluini-ſequis *fidelibus peccata non imputantur.*

Caluinus lib. 3. Inſt. cap. 4. n. 28.

CANDORIS CALVINIANI
PARADIGMA VII. VIII. IX.

NVLLA vnquam natio tam immanis ac barbara fuit, quæ pacta fœdera, præſertim Iurisjurandi religione firmata, ſumma fide ac integritate ſeruanda non putarit. A natura enim ipſa inſita eſt omnibus veriſſima illa poetæ ſententia.

Ah miſer, & ſi quis primo periuria celet,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

At, proh pudor, eò Caluiniſticus Candor prolapſus eſt, vt hodie, vix quid credere, quibuſue pactis tuto fidere poſſis, reperias.

Tria hujus rei lucidiſſima in Betlenio documenta dabo.

Primum eſt. Validis Turcarum exercitibus ſtipatus Betlen inuaſerat Tranſyluaniam, pulſoque illinc domino ſuo Gabriele Bathori, Comitia Claudiopolim Turcico nutu conuocarat. Armatis Turcarum phalangibus cincta & obſeſſa Ciuitate, poſtquam denunciatum fuiſſet Tranſyluanis, liberam quidem illis in deligendo Principe poteſtatem eſſe, Turcam tamen ſecus nolle, quàm vt Betlen Principatum cãpeſſeret; liberis ſcilicet ſuffragijs, inter arma ac metum Turcicum, Princeps deſignatus fuit Betlen. Ne tamen exlex ipſe, pro libitu omnia ſuſque deque verſaret, Articuli nonnulli propoſiti fuêre, ad quorum obſeruationem Iurejurando ſeſe

Betlen

Digitized by Google

Betlen adſtringeret; Inter quos is vnus fuit, *Quod cum Romanorum Cæſarea Majeſtate, & Regno Vngariæ, bonam vicinitatem, & pacem ſollicitè ſeruabit.* Quod ipſum ampliſſimis quoque verbis in pacificatione Tirnauienſi, ſanctè promiſerat Betlenius. Id porrò quàm bona fide, quoue Candore Caluiniano obſeruarit, res ipſa loquitur, nec longiori commemoratione indiget. Sed quem ſibi ſcopum præfixerit Betlen dum Bohemorum fœderi ſeſe illigaret, nefariaque in Cæſarem arma moueret, id non æque omnibus notum. Intereſt vero vt id palam fiat vniuerſis.

Articuli An. 1513. Claudiopoli editi.

Betlen igitur, memor beneficij à Turcis accepti quorum ope ac nutu principatum obtinebat, non ſolum recedentibus ex Tranſyluania Turcis, plurima Chriſtianorum millia, velut nauatæ operę emerita ſtipendia, in animarũ, corporumq; ſeruitutem abducēda, permiſit, verùm etiam, eius Imperium cuius fauore regnabat, amplioribus terminis dilatatum cupiens, id ſummo ſtudio curabat, vt & Vngaria Vniuerſa, & adjacentes Prouinciæ, Turcico jugo peræque ac Tranſyluania ſe implicarent, præſtitoq; Turcis homagio, non ſecus ac Betlen (qui contra Polonos, ex Turcico præſcripto arma verterat) junctis viribus, Turcæ famularentur. Id verò non alijs ego documentis comprobandum cenſui, quàm proprijs eiuſdem Betlenij literis, ad Schender Baſſam ſcriptis, quæ originaliter interceptæ extant, & quas bona fide, qui Vngaricè norunt, hunc in modum tranſtulerunt.

Spectabilis ac Magnifice Baſſa; Bonis omnibus cumulet Deus Magnificentiam Veſtram. Quàm ſyncerè ac fraternè: quàm grato beneuoloq; affectu, conatus ſemper fuerim, Veſtræ Magnificentiæ ſeruire, ſummus Deus mihi ſit teſtis. Neſcio tamen, quo meo merito, Veſtra Magnificentia, in meam perniciem, & apud ſplendidam Portam, & alibi, multas fodit foueas, in quas ne precipitarer, Deus hucuſque protexit. Ego in Veſtram Magnificentiam nunquam deliqui, quin potius, quantum potui, demereri laboraui, & vix nō ſeruus ipſius vectigalis fui. Quolibet enim anno, multa donaria, ſupellectilem argenteam, pecuniam numeratam, ſalem, debui V: Magnificentiæ pendere, quarum rerum teſtes habeo, quos producam, cum opportunum fuerit. Ex ijs cognoſcet ſplendida porta: qua ratione Veſtra Magnificentia Tranſyluaniam

Digitized by Google

niam emungat. Non ſolùm coram, ſed & apud legatos, ſplendida ſemper verba dedit mihi Veſtra Magnificentia, multis juramentis promiſit beneuolentiam, interim conatu omni exitium meum procurauit. Huiusq; diſſimulaui. Literas, quibus Veſtra Magnificentia, poſt meum ex Tranſyluania abſceſſum, Saxones allicit, heri accepi, quas vbi perlegiſſem, miratus ſum vehementer, quòd nondum deſiſtat Magnificentia Veſtra à practicis Tranſyluanicis, cum tamen nihil juris habeat in Tranſyluaniam, nec exiſtimet depoſuiſſe nos, ac negligere curam Tranſyluaniæ. Rogo itaque Magnificentiam Veſtram, à practicis huiuſmodi deſiſtat, in Tranſyluaniam ne ſcriptitet, certò ſibi perſuadeat, cum ijs quibuscum cœpit, rem hanc non perficiet. Ego negotia Veſtræ Magnificentiæ non attingo, cum id mei non ſit officij, ita nec Veſtra Magnificentia res meas dirigat, cum nemo ipſi hac in parte quidquam commiſerit.

Certò credat Magnificentia Veſtra, quod & ego exiſtimo me talem eſſe ſervitorem Cæſaris, mei clementiſſimi Domini, qualis eſt Veſtra Magnificentia. Seruiui, ſed & nunc in dies ſeruio Potentiæ ſuæ, cum omni juſtitiâ, quod nunc vel maximè teſtatum feci. NOTA. Totam ſiquidem Hungaricam nationem, eodem prorſus modo, quo Tranſyluaniam, ad pedes potentiſſimi Domini perduxi; Iſti jam Suæ Potentiæ vnà mecum fideliſſimi erunt. Maneo nunc Poſonij in Regiâ Hungariæ, Corona in meis manibus eſt, Deo gratia, Poſt dies decem Hungari ſibi Regem eligent. Conuenerat omnis exercitus Ferdinandi, erant vltra ſexaginta millia, ante pontes Viennenſes confliximus, & magnus Deus, potentiſſimi Imperatoris auſpicijs, Victoriam largitus eſt: profligauimus inimicum: vltra Danubium pepulimus: Viennam concluſimus. Nunc exercitus noſtros traijcimus, vt illos iterum inuadamus, & ſi Deus fauerit, Vienna quoque, paucos intra dies, in poteſtate mea erit. Totum regnum Bohemiæ, regnum Morauiæ, regnum Sileſiæ, potentiſſimo Imperatori fidum ac beneuolum effecimus, eorum exercitus omnes penes me habeo, ex omnibus Regnis Legati cum muneribus deſtinantur ad lucidam Portam. Taliter ego inſeruio potentiſſimo Domino. Veſtra autem Magnificentia clanculum vult meos ſubditos à me auellere, ad rebellandum inducere, ob quod certè nunquam ei ſeruiam. Deus ſit cum Veſtra Magnificentia. Poſonij, 4. Nouemb. Anno 1619.

Audis Betlenium profitentem, ſe, nunc quoq; dum in Vngaria contra Cæſarem pugnat, potentiſſimo Turcarum Imperatori

famu-

famulari? Audis eodem prorſus modo quo Tranſyluaniam, Imperio Turcico ſubjeciſſe Vngariam? Audis Bohemiam, Morauiam, & Sileſiam ad Turcicam fidelitatem à Betlenio perductam eſſe? Et tamen, pro Candore Caluiniano, Betlenius paſſim apud Vngaros gloriatur, ſeſe arma ſumpſiſſe, libertatis Vngaricæ reſtituendæ cauſa. Nempe aſſuetis Turcicæ ſeruituti, libertas eſt, Turcis *vnà cum Betlenio fideliſſimos eſſe.*

Secundum eſt. Inita fuit Tirnauiæ pacificatio inter Cæſarem Matthiam ac Betlenium, iteratiſq; diplomatibus Religioſè per Betlenium confirmata. Inter alias pacis Capitulationes, quum timeretur ne Betlen aliqua Tranſyluaniæ propugnacula Turcis dederet, ſpeciali Articulo cautum fuerat, ne quidquam ditionis Tranſyluanicæ per Betlenium quoquo modo alienaretur. Verùm enimuerò, dum Turcæ promiſſiones quibus Tranſyluaniam mercatus fuerat, expleri vrgerent; & nauatæ operæ promiſſa jam dudum ſtipendia perſoluere vellet Betlenius, collectis omnibus Tranſyluanorum copijs, bellum ſubditis ſuis, genti ſuæ, ſuo ſanguini inferre non dubitauit, vt Turcis gratificaretur. Limitaneos igitur milites proprios, eò quod prodere Turcis domicilia quæ incolebant, nollent, armis petendos exiſtimauit, ac validis tormenrorum diuerberationibus, Lippam Ciuitatem inſignem, mœnibus cinctam, duplicique munitam arce, deditione tandem recepit, deinde Solijmos, Eperies, Totuaradgya, Margita, Monoſtor, Arad, Syri, Facſat, præſidia limitanea, magnis Romani Imperij ſumptibus à Principe Sigiſmundo Bathori Turcis erepta, vnà cum immani terrarum tractu, teſtandæ ſuæ erga Turcas ſynceritatis ergò, Turcis aſſignauit. Id verò, quàm thraſonico verborum apparatu, literis ad Vizirium Nakas Haſſan Baſſam datis ipſemet exaggeret, ex ipſiuſmet literis, fideliter tranſcriptis accipe.

Spectabilis ac Magnifice Vizir Baſſa, mihi ſemper beneuole, honorande Domine; Deus Veſtram Magnificentiam conſeruet, fortunatam reddat, & vnum ipſius diem in terris, in multa millia propagando, in ſeruitijs potentiſſimi inuictiſſimiq; Cæſaris, beatâ proſperitate exornet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ab annis compluribus inter noſtrum potentiſſimum inuictiſſimumq́ Cæſarem, & regnum Tranſyluaniæ, alienationes diſceptationesque intercurrerunt, ob ademptam nec redditam Lippam. Diffiteri non poſſumus, plurimas eaſq́ juſtas, ac euidentes cauſſas fuiſſe, ob quas nec Regnum, nec qui huc usq́ fuère Principes, adduci potuerunt, vt eam redderent. Nam ex quo priſcorum Hungarorum progenitores, relicta Scythia, ferro abſumptis harum terrarum incolis, Regnum acquiſiuerunt, nullo vnquam tempore, vel auditum, vel lectum alicui, quòd gens Hungarica non dico Arces, Ciuitates, tractus integros, ſed vel palmum terræ, ſine armis, ſine ſanguine, ſine cæde, gratis alicui conceſſiſſet. Ex quo autem gens Ottomanica contra Hungaros bella gerit, quacunq́ in arce ſoli Hungari milites fuère, quantumuis valida impreſſione premerentur, haud ſeſe dediderunt, ad vnum omnes internecione deleri pro defenſione patriæ maluerunt. Teſtantur id Alba Græca, Temeſuar, Gyula, Szigetum.

Synceritas Calviniana. *Nunc noſtræ actiones, & aduerſus potentiſſimum Imperatorem declarata ſyncera fidelitas, longè aliter habent. Nam vt in potentiſſimum Imperatorem, veram fidelitatem noſtram, reſtitutione arcis Lippæ, comprobaremus, ob practicas plurimorum GermaniZantium, accedente præſidiariorum rebellione, & exercituum noſtrorum multiplici difficultate multorum inſignium militum noſtrorum ſanguinis ac vitæ profuſione, Ciuitatem aſſultu, Arcem valida impreſſione occupauimus, vt vel hac ratione potentiſſimo Imperatori gratificaremur. Interea ex parte Germanorum, tametſi ſub pacis prætextu, multa donatiua deſerantur potentiſſimo Imperatori, alia tamen ex parte Georgium Homonnai in Tranſyluaniam, Sorban VVaiuodam in VValachiam, valido exercitu inſtructos expediuerunt. In ſubſidium quoque arcis Lippæ (ne videlicet reddi illa per nos poſſet potentiſſimo Imperatori) ad inſtantiam præſidiariorum, validus contra nos exercitus fuit expeditus. Verùm nos, accelerato itinere, illius aduentum præuertimus, & jam ciuitatem occupaueramus, cum hæc auxilia ſuperuenerunt. Interim & arcis oppugnationem vrgendo, & contra aduentantes in campis depugnando, Deo adjutore, contra vtroſq́ feliciter rem geſſimus. Arce igitur occupatâ & euacuatâ, juxta clemens mandatum potentiſſimi Imperatoris, Lippam,* *NOTA.* *vna cum quinq́ arcibus & caſtellis ad eam ſpectantibus, nos ipſi in manus Beglerbegi Temeſuarienſis, Spectabilis ac Magnifici Mechmet Baſſæ, conſignauimus.*

Ob

Digitized by Google

Ob hanc æternâ memorâ dignam fidelitatis noſtræ declarationem, cui parem nemo hucvſq; in tota natione Hungaricâ, fortè nec in aliis, verſus Ottomanicam gentem exhibuit, quàm clementem protectionem, quantam bonorum affluentiam ſperare debeamus à noſtro clementiſſimo ſummaq; dignitatis Cæſare, quam amicitiam beneuolentiamq; à Veziris, quàm ab vniuersâ Muſulmanicâ gente gratitudinem, id nos, ſummi in primis Dei, ac per totum orbem diffuſarum gentium ac nationum, perennaturo judicio committimus. Capitis noſtri, vitæq; propriæ diſcrimine tot inſignium militum noſtrorum ſanguine, tam grande obſequium præſtitimus, vel hac ratione, gratiam ac fauorem potentiſſimi Imperatoris demereri ſatagentes. De totius negotij curſu, deq; poſtulatis noſtris. quæ potentiſſimo Imperatori repræſentamus, Veſtram Magnificentiam, Orator noſter, qui illic eſt, plenè edocebit, rogantes cum omni affectu Magnificentiam Veſtram, digna poſtulata noſtra, ſuo fauore promota velit, quod nos vnà cum noſtro regno, omni gratitudine demereri conabimur. Deus conſeruet Magnificentiam Veſtram diutiſſimè incolumem. Datum in caſtris noſtris ad arcem Lippam poſitis, die XIV. menſis Iunij, Anno 1616.

Magnificentiæ Veſtræ
Beneuolus, Amicus, Seruitor,
GABRIEL BETHLEN.

Injuriam diſerto oratori fecero, ſi tam vberem, ac luculentam ſui ipſius dilaudationem, amplioribus encomijs celebrauero. Hæc nimirum ſumma laus eſt Candoris Caluiniani, ſi contra datam fidem, ipſis etiam naturæ vinculis abruptis, vrbes ac ditiones Chriſtianas immaniſſimis Chriſtianorum hoſtibus prodantur.

Tertium eſt. Dum Betlenius à Rebellibus Vngaris, in Regem deſignaretur, quædam illi Conditiones regnandi, oblatæ fuerunt, quas ille ſacroſanctè obſeruaturum ſe recepit. Prima conditio erat, *quod Regni libertates, Priuilegia, Iura, Statuta, & conſuetudines, in omnibus punctis & clauſulis firmiter & ſanctè obſeruabit.* Et quamuis prima ac ſumma libertas Vngaricæ Nobilitatis illa ſit, quòd Rex Vngariæ, nullum Nobilem captiuare poſſit, niſi Iuris ordine accuſatum, ac conuictum, plurimos tamen in dies Vngaros

Nobi-

Digitized by Google

Nobiles capi ac compedibus vinctos, bonis omnibus ſpoliari per Betlenium, notius eſt, quàm vt exemplis monſtrari debeat.

Quid de tutiſſima ſalui conductus ſeu fidei publicæ obſeruatione dicam? Magnificum Thomam Boſnyak, datis pro ſecuritate literis patentibus, imò & obſide, in caſtra ſua euocauit nuper Betlenius, quem tamen captum, indignisq; tanto viro compedibus coarctatum, nequidquam datæ fidei teſtes ſcripturas oſtentantem, hodieq; detinet. Perplura hujuſmodi, violatæ fidei exempla recenſere poſſem, Verùm ijs miſſis.

Olim quòd vulpes ægrotos cauta Leoni
Reſpondit, referam; quia me veſtigia terrent,
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Moneo igitur, Falli qui nolit, Betleno fidere nolit. Nam cum ex Caluini dogmate *Diuinæ legis obſeruatio ſit impoſſibilis*, dubitandum non eſt Candorem Caluinianum committere non poſſe, ne pejeret, ne falſa contra proximum teſtimonia ferat.

Caluinus lib. 2. Inſt. cap. 5. n. 6. Et cap. 7. n 5.

CANDORIS CALVINIANI
PARADIGMA X.

DOLENDA ſimul & lugenda eſt Catholicorum ſimplicitas, quæ tam incautè toties deluſa ac decepta in vltimum penè diſcrimen Catholicæ Religionis ſtatum præcipitauit. Longum eſſet ire per ſingulas Europæ regiones, & pedepreſſim recenſere, quo Candore Caluiniano cuniculos Religioni Catholicæ ſuffoderint Caluinicolæ. Belgium ac Vngariam, duas fortunæ pilas, Martis palæſtram vtramque, ſpectemus.

Arauſionenſis dum Belgium turbaret, nulla Religionis Catholicæ præjudicia admittebat, ſolam Patriæ libertatem, ſolam Tyrannidem Hiſpanorum obtendebat. *Tantumq; odium Hiſpanorum, & ejectis illis ſperatæ libertatis deſiderium valuit, vt aliena à ſe Religionis hominibus conjungere ſe Præſules ac Sacerdotes minimè dubitarint, ſibique ita perſuaſerint, inter concives, & conterraneos, excuſſo ſemel Hiſpanorum jugo, de controuerſiis religionis, facilè conuentum iri.*

Thuanus lib. 62. An. 1576.

Quo-

Digitized by Google

Quocirca, *pacificationi Gandenſi interfuere ſacri ordinis nomine* cœnobiarchæ primarij. Ibi verò non ſolùm Catholicæ Religionis ſecuritati cavebatur; verùm etiam, *vt Antiſtites, & alij è ſacro ordine, qui extra Hollandiam ac Zelandiam domicilium habuerunt, & tamen in illis prouincijs poſſeſſiones habent, ijs, ſicut alij, liberè vtantur fruantur.* Quin & illud lege lata ſtatutum, *vt in eos, qui aliquid contra Religionem Catholicam Romanam attentauerint, aut in eius offenſionem quidquam moliti fuerint (offenſionis nomine, Conciones, Baptiſmata, aliaque in vſu religionis Proteſtantium prohibita, intelligebantur) Iuris rigore, & executione vtantur.* Iſtis igitur tam ſpecioſis ſtatutis ſacer ordo delinitus, in pacificationis Gandenſis capita Sacramento adigi ſe paſſus eſt, paucis exceptis, qui fraudem odorati, ſolum vertere, quàm aſſentiri maluerant. Nec diu firma fuere quæ in fauorem Catholicæ religionis Iurejurando ſancita erant, ſiquidem eodem ipſo Anno, *vt plebi vbique opinionibus praeoccupatæ ſatisfieret, pacem Religionis, vt olim* FERDINANDO *Cæſare in Imperio, ſic & in Belgio conſtituunt, quæ in Ciuitatibus eam acceptare volentibus locum habitura eſſet.* Non ſtetit hic Candor Caluiniſticus, eodem anno, *Gandenſes nullo non contumelia, ac ſæuitiæ genere in ſacrum ordinem, ac cæteros Catholicos conciues ſuos vſi, Templis paſſim expilatis, imaginibus dejectis, Eccleſiaſticis vrbe pulſis, ac bonis injuriosè ſpoliatis, conflatis Templorum Tintinnabulis ingentem tormentorum fuſilium copiam ex cupro parant. Nec Sacerdotes ſpoliaſſe contenti, eorum bona vili pretio venire jubent, emptoribusq; hac illice inuitatis, Cœnobia, Templa, & ædificia diruunt, nemora cædunt, ac poſtremo majorum Religionis cultum omnino abolent.* Haud multum abſimile fuit *Antuerpienſium* facinus. *Nam cum majorum ſacris addicti, ſupplicationem per omnes vrbis vicos, magna pompa haberent ſtationarij viam incedentibus obſtruunt; dein plebs arma ſumit, & aliquot occiſis, cæteros magno tumultu in templum confugientes, & ſe inuicem euertentes, & obterentes compellit. Tandem triborium à furente vulgo impetratur, & Sacerdotes ducentos per Ceruiſiariam portam emittunt.* Vides quo aſtu pedetentim Religionis excidium procurarit Candor Caluinianus. Vides quàm tuto Juramentis Caluinianis, defenſio fidei Catholicæ committatur.

Thuanus lib. 66. An. 1578.

Thuanus lib. eodem

Thuanus lib. 68 An. 1579.

Cæterum quia eodem Caluini ſpiritu, circumagitur Betlenius in Vngaria, quo in Belgio Arauſionenſis raptabatur, haud diſſimili Candore res apud Pannonios geſta. Ad annum vſque milleſimum ſexconteſimum ſextum, nulla omnino libertas nouitijs dogmatibus permiſſa fuit legibus Vngaricis. Quin & crebrò, & grauiter ac ſeuerè ſæpius conſtitutum, vt Lutherani, Sacramentarij, cæteræque ſectæ, à ſancta Catholica Romana Eccleſia diſſectæ exterminentur. Cæterum vt legum ſeueritatem declinarent Proteſtantes, lenitatis, ac manſuetudinis Chriſtianæ commemoratione, ſuadebant imperitis nihil à ſe periculi imminere. At vbi Turcicis copijs ſubnixi, viribus ac numero ſuperiores euaſere, anno 1606. libertatem ſectis omnibus, armatis precibus extorſerunt, ac lege lata ſanciuerunt, ea tamen conditione, *vt abſq; præiudicio Romanæ Religionis* libertate hac vterentur: *vt Clerus ac Templa Catholica intacta manerent: vt Præpoſituræ, & Abbatiæ in ſuo Statu, & fundatione perſiſterent.* Ita nimirum, quum nemo de repente fiat peſſimus, auſi non ſunt, vno velut impetu rem Catholicam euerſum ire, ſed pedetentim progredi maluerunt, ſenſimq; ſine ſenſu omnia peſſundare.

Pacificat. Viennenſ. Art. 1. & 6.

Adnitentibus igitur, ac ſummo conatu varijſque diſcurſationibus impensè procurantibus Caluinianis Prædicantibus, noua in Vngaria excitatur rebellio, Duce Betlenio. Tunc demum, audendum aliquid breuibus gyaris, & carcere dignum, rati Nouatores; qui precario antea multis annis contra legum ſeueritatem tolerati fuerant, Lupinam feritatem quam animo circumferebant propalarunt. Nam Anno 1619. barbara ac immani feritate contrucidatis plurimis è Sacro ordine, pulſis ac fugatis quos mactare non potuerant, lege lata, omnia Cleri Priuilegia, ac Iura abrogarunt: Bona Eccleſiaſtica omnia vſibus prophanis addixerunt: præcipuos Antiſtitum proſcripſerunt: Templa Catholicorum ademerunt.

Hæc verò omnia, ſub clypeo ac auſpicijs Betlenij geſta, patrataque, documenta erunt ſeris nepotibus, ne Caluiniano Candori credant, ſi decipi nolint.

FINIS.